



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Qvinque Ad Proficiendvm in spiritu necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

QVINQVE AD PROFICIENDVM

in spiritu necessaria.

Primum, Deum eiusq; gloriam ac beneplacitum, teipso relicto, voluntateq; propria posthabita ac contempta, pure ac simpliciter in omnibus intende ac quare.

Secundum, in omni actione & egressione tua teipsum vigilanter observa, introspiciens in teipsum, & expendens, quam nihil sis. Nec a teipso recedas, sed cognoscas quid tractes, & quid in te versetur, quid etiam moueat te, & quare: vt aduertas ad quid ex intimo cordis mouearis.

Tertium, non occupes animum tuum rebus aut curis alienis, id est, quæ tibi commissæ non sunt, nihilque iudices aut discutias, sed omnia tibi stent aut transeant, vt sunt in suo esse vel in seipsis. Quod bonum est maneat bonum: quod malum est sit malum, sed a te non iudicetur. Intra te igitur & maneat intra teipsum, auscultans quid intra te tibi loquatur Deus, & illi semper adhaereas.

Quartum, vt in veritate paruus & nihil sis in oculis tuis, siue interiora siue exteriora tua respicias, & ita semper sine glossa & sine simulatione ex animo te nihili pendas.

Quintum, vt veram & puram studeas semper in te habere & exercere charitatem, non amore illo sensibili contentus, quo afficimur ad DEVM & ad creaturas, sed nuda, simp-

QQ ñ pli-

plici votaꝫ charitate diligas, qua ex intimo a-
nimæ tuæ quæras ac intendas Deum solum &
animarum salutem.

Basis vitæ spiritualis

Boni ac resignati animi basis ac fundamen-
tum est, confidere Deo, ac super eius boni-
tate niti, suam interiorē & exteriorē ho-
minem vigili custodia semper observare, Deo-
que intus & hominibus foris obedire, omnia ac-
cidentia de manu eius sola accipere, eademqꝫ o-
ptima sibi esse, ex diuina prouidentia intellige-
re; se ex toto relinquere & resignare Deo, nemi-
ni querulari, nec ad consolationem aliquā quæ-
rendam se conuerrere, sed diuinum beneplaci-
tum solum in se semper optare, suam nihilita-
tem inspicere, quocunqꝫ bono atqꝫ terra ipsa se
indignum existimare, vsqꝫ infinem, quam-
diu placuerit Deo, quæcunqꝫ accidunt
sustinere, & ad maiora sustinenda
paratum esse, atqꝫ in omni
pressura Deo gra-
tias agere.

VIRI